

est. Si autem penitus aboleatur ex animo, nec admoniti reminiscimur. Neque enim omnimodo adhuc oblitus sumus, quod vel oblitus nos esse meminimus. Hoc ergo nec amissum quaerere poterimus, quod omnino oblitus fuerimus » (1).

QUAESTIO III.

De facultate intellectiva animae, eiusque obiecto seu intelligibili.

RES TRACTANDA PROPONITUR. Tria sunt cognoscendum genera; quaedam enim habent solum cognitionem sensitivam, nimirum animantia bruta; quaedam ex opposito habent solum cognitionem intellectivam, nimirum Intelligentiae seu Angeli; quaedam demum pollent simul cognitione sensitiva et intellectiva, nimirum homines. Quare homo in confinio positus utriusque creaturae, id est materialis et spiritualis, operatione sua utrumque creaturarum ordinem assequitur; ita ut si sentire ipsi commune sit cum pecudibus, mentem et intellectum sibi vindicet communem cum Angelis. De praestantissima hac hominis facultate sic eleganter more suo meminit Tullius: « Homines enim etsi aliis multis, tamen hoc uno a bestiis plurimum differunt, quod rationem habeant a natura datam, mentemque et acrem et vigentem, celerrimeque multa simul agitantem, et ut ita dicam sagacem; quae et causas rerum et consecutiones videat, et similitudines transferat, et disiuncta coniungat, et cum praesentibus futura copulet, omnemque complectatur vitae consequentis statum » (2). Expeditis ergo quaestionibus de sensu, quem cum bestiis communem habemus, ipse disputationis ordo requirit, ut de intellectu disseramus, quo et belluis antecellimus, et ad puros spiritus quadantenus accedimus. Si quidem intellectus noster in cognoscendo mirum quantum supra sensum extollitur, cum eius actio perceptiva ad omnia quodammodo extendatur, quae habent rationem entis. Ex adverso cum per res materiales immaterialiter cognitae ascendat ad aliqualem cognitionem rerum immaterialium et invisibilium capessendam, a perfectione intellectus angelici in cognoscendo plurimum abest, ideoque infimum gradum sibi vindicat potentiae intellectivae.

(1) *Confess.* lib. X, cap. XIX, n. 28; cf. etiam *De Trin.* lib. XII, cap. IV et VII.

(2) *De finibus*, lib. II, cap. XIV.

ARTICULUS I.

AN INTELLECTUS HUMANUS SIT FACULTAS IMMATERIALIS ET INORGANICA.

QUAESTIO DEFINITUR. Cum intellectus humanus sit facultas cognoscitiva radicata in eadem essentia animae, ex qua facultates sensitivae proficiunt; cumque, uti experimento constat, nihil in praesenti statu intelligamus sine phantasmate, sponte sua oritur quaestio, utrum intellectus sit facultas, quae sedem habeat in sola anima, vel in aliquo organo animato. Ad hanc quaestionem rite solvendam, ductu auspicioque Aristotelis et S. Thomae, a notioribus ad minus nota procedemus, et ex iis, quae sensui una et intellectui communia sunt, ad ea aperienda accedemus, quibus alter ab altero essentialiter differt; et sic per genericam rationem facultatis cognoscitivae pervenimus ad determinandam rationem specificam et differentialem, secundum quam intellectus sensui praestat.

Intellectus confertur cum sensu. Principio quidem hoc intellectus cum sensu convenit, quod ambo sint facultates cognoscitivae; ambo rerum cognitarum formas in se recipiunt; ambo denique cum aliquid agant, aliquid etiam patiuntur. Huiusmodi convenientia sic notatur a S. Thoma: « Similitudo ex hoc manifesta est, quod sicut sentire est quoddam cognoscere, et sentimus quandoque quidem in potentia, quandoque autem in actu, sic et intelligere cognoscere quoddam est, et quandoque quidem intelligimus in potentia, et quandoque in actu. Ex hoc autem sequitur, quod cum sentire sit quoddam pati a sensibili, aut aliquid simile passioni, quod intelligere sit vel pati aliquid ab intelligibili, vel aliquid alterum huiusmodi, simile scilicet passioni » (1).

Verum si sensus et intellectus in eo conveniunt, quod ambo sint facultates cognoscitivae; differunt nihilominus plurimum ex eo quod intellectus multo differentius quam sensus proprias operationes exerit; nam intellectus suam activitatem exercet sine ullo corporalis organi adiumento, cum ex adverso sensus in suis operationibus ab organo materiali dependeat. Qua de re merito a S. Thoma sensatio nuncupatur actus organi, et facultates sensibiles vocantur virtutes organicae affixae; intellectus autem dicitur fieri in anima sine ulla organi communicatione (2). Convenientiam et discrepantiam intellectus et sensus sic paucis exhibet idem Aquinas: « Sensitivum quodammodo se habet ad sensibile, sicut intellectivum ad intelligibile, in quantum scilicet

(1) *De Anima*, lib. III, lect. 7.

(2) Cf. *QQ. DD. De Anima*, a. 10.

utrumque est in potentia ad sua obiecta. Sed quodammodo dissimiliter se habent, in quantum sensitivum patitur a sensibili cum corporis immutatione. Unde excellentia sensibilibus corrumpit sensum, quod in intellectu non contingit » (1).

Quid intellectus? Vox intellectus quandoque sumitur pro substantia intellectiva, quae denominationem recipit a principali sua virtute, et in hoc sensu Angeli vocari solent intellectus puri vel intelligentiae (2). Quandoque sumitur pro facultate cognoscendi, qua homo praestat brutis animalibus, cui varia tribuuntur nomina pro varietate operationum, quas exercet, et sic dicitur etiam mens, ratio. Quandoque demum usurpatur pro eadem facultate secundum quod vel simpliciter apprehendit, vel immediate iudicia profert, et in hac acceptione distinguitur a ratione. In praesenti quaestione intellectus sumitur generatim pro illa facultate apprehensiva, qua brutis antecellimus, et describi quadantenus potest: *Facultas cognoscitiva, qua homo directe et immediate percipit quidditates rerum materialium abstractas a principiis individuantibus.*

Dependentia intellectus a sensu. Cum intellectus noster in statu unionis animae cum corpore accipiat cognitionem a sensibus, quemadmodum suo loco demonstrabimus, consequenter aliquo modo dicendus est dependere a corpore in sua operatione. Sed haec dependentia, quae est omnino extrinseca, non est confundenda cum dependentia intrinseca, ex eo orta, quod facultas sit recepta in organo, quod est principium operationis. In hoc quippe casu actus non est solius potentiae, sed compositi ex potentia et organo corporeo (3).

Philosophorum sententiae. Intellectum humanum esse facultatem spiritualem et separatam ab organo materiali, luculenter et discrete professus est Aristoteles, cui subinde adstriplati sunt omnes SS. Patres, et philosophi christiani, quippe qui intelligebant, hominem a brutis non gradibus, sed specie differre, et differentiam praecise ex intellectu et ratione oriri. Nihilominus huiusmodi veritas, quae humani generis dignitati apprime consulabat eiusque nobilissimam operationem assebat ac vindicabat, oppugnata fuit a nonnullis philosophis duplici opposita ratione. Sensitiae enim intellectum cum sensu male permiscentes tenebant, omnes animi facultates per organa corporea suas elicere actiones. Inter Cartesianos interdum invenire est quosdam, qui licet se a sensismo abhorre verbis affirmant; tamen serio loquuntur de organo intellectus et voluntatis, et intellectum in determinata parte cerebri collocant. Phrenologi aperte propugnant, singulis facultatibus tum intellectivis, tum volitivis peculiaria organa praesto esse in cerebro, hisque totidem in cranio respondere prominentias.

(1) 1 p. q. 75, a. 3 ad 2.

(2) Cf. S. THOM. 1 p. q. 79, a. 1 ad 2.

(3) Cf. S. THOM. *De Anima*, lib. III, lect. 7 medio.

Neoplatonici contra, et Averroistae ita intellectum ab organis corporalibus separant, ut ipsum ne potentiam quidem animae faciant; nam primi propugnant esse virtutem, secundi esse substantiam ab anima separatam. Contra hos omnes errores militat sequens propositio.

PROPOSITIO.

Intellectus est facultas inorganica, idest quae proxime fuit a sola anima et in sola anima residet tanquam in subiecto.

Prob. prop. Arg. 1.^{um} Illa facultas est omnino separata ab organo, quae habet operationem prorsus spirituales. Atqui intellectus humanus habet operationem omnino spirituales. Ergo est facultas immaterialis et independens ab organo.

Arg. evol. Propositio maior ex eo patet, quod operatio non potest esse nobilior principio unde dimanat, ideoque si operatio est spiritalis, et facultas spiritalis esse debet. Propositio minor declarari potest considerando actum per ordinem ad obiectum a quo speciem sortitur. Siquidem intellectus percipit immaterialia, nam licet imperfecte et per quamdam similitudinem; tamen aliquo modo intelligit Deum, et substantias spirituales, cum de illis veras efformet propositiones. Iterum ipsa materialia et corruptibilia apprehendit sub quadam ratione immateriali et incorruptibili; nam cognoscit essentias rerum abstrahendo a materia et a conditionibus eas determinantibus ad esse huius vel illius singularis. Porro cognoscere essentias abstractas a singularitate et universales, proprium est facultatis, quae soluta sit ab omni organorum vinculo. Uti enim loquitur S. Thomas: « Sensus non est cognoscitivus nisi singularium; cognoscit enim omnis sensitiva potentia per species individuales, cum recipiat species rerum in organis corporalibus. Intellectus autem est cognoscitivus universalium, ut per experimentum patet » (1).

Confir. Intellectus supra se suosque actus revertitur reditione completa. Sed perfecta reflexio non potest esse actus facultatis organicae, quae pendet ab organo, cui est alligata. Si enim ipsa supra se rediret, deberet et ipsum organum supra se reverti, quod est impossibile. Unde idem Aquinas ait: « Nullus sensus seipsum cognoscit, ac suam operationem; visus enim non videt seipsum, nec videt se videre. Intellectus autem cognoscit seipsum, et cognoscit se intelligere » (2). Quocirca sive actio intellectiva spectetur per ordinem ad obiectum a quo specificatur, sive consideretur secundum quod est reflexiva, in

(1) *Contra gent.* lib. II, cap. LXVI.

(2) *Contra gent.* loc. cit.

promptu est, ipsam esse immaterialem, nempe dimanare a facultate, quae in operando sit independens ab organo.

Arg. 2.^{um} Intellectus intelligit omnes naturas rerum materialium. Atqui si esset facultas organo alligata, non posset suas operationes extendere ad omnes res materiales. Ergo intellectus est separatus ab organo. Vis istius argumenti, quod Aristoteles protulit, et S. Thomas explicavit, in eo est quod natura organi, utpote materialis, ad aliquod genus materialium est determinata; et ideo organum impediret intellectum, quominus reliquas naturas materialium intelligeret; quandoquidem, monente S. Bonaventura, inter organum et eius obiectum aliqua similitudo intercedere debet. Quae doctrina sic traditur a S. Thoma: « Impossibile est quod intelligat per organum corporeum, quia natura determinata illius organi corporei prohiberet cognitionem omnium corporum; sicut si aliquis determinatus color sit non solum in pupilla, sed etiam in vase vitreo, liquor infusus eiusdem coloris videtur. Ipsum igitur intellectuale principium, quod dicitur mens vel intellectus, habet operationem per se, cui non communicat corpus » (1). Et alibi adhuc praeclarior: « Omne quod est in potentia ad aliquid et receptivum eius, caret eo ad quod est in potentia et cuius est receptivum; sicut pupilla, quae est in potentia ad colores et est receptiva ipsorum, est carens omni colore. Sed intellectus noster sic intelligit intelligibilia, quod est in potentia ad ea et susceptivus eorum sicut sensus sensibilium. Ergo caret omnibus illis rebus, quas natus est intelligere. Cum igitur intellectus noster natus sit intelligere omnes res sensibiles et corporeas, oportet quod careat omni natura corporali; sicut sensus visus caret omni colore propter hoc quod est cognoscitivus coloris... Sic etiam intellectus si haberet aliquam naturam determinatam, illa natura conaturalis sibi prohiberet a cognitione aliarum naturarum » (2).

Occurritur difficultati. Hoc argumentum ab Aristotele ductum et a B. Alberto Magno, a S. Thoma, et a S. Bonaventura probatum, quo etiam usus est B. Albertus ad probandum, singulare corporeum non esse obiectum proprium et directum intellectus nostri, non placuit quibusdam, qui illud submovere conati sunt, ex eo quod, ut ipsi dicitant, si illa ratio Philosophi staret, consequenter dicendum foret, intellectum nostrum in potentia ad intelligendas res spirituales debere carere natura spirituali. Verum haec instantia, quae cuilibet in mentem venit, ideoque illos summos viros superius commemoratos latere non poterat, prima specie admirationem movet, sed re considerata et intellecta, statim evanescit. Etenim, ut rite notat Silvester Maurus hanc rationem enarrans, duo illa principia, quibus demonstratio Aristotelis innititur, nimirum: *Intus existens prohibet extraneum*; et: *Reci-*

(1) 1 p. q. 75, a. 2.

(2) *De Anima*, lib. III, lect. 7.

piens debet esse denudatum a natura recepti, veritatem habent si agitur de rebus materialibus, cum materia sit principium limitationis, coactionis, et determinationis; minime vero si agitur de rebus immaterialibus, nam immaterialitas praecise est formalis ratio, cur aliquid sit intellectivum, et intelligibile, ideoque secundum maiorem vel minorem elongationem a materia resultat potior perfectio tum virtutis intellectivae, tum intelligibilitatis (1).

Arg. 3.^{um} Omnis potentia organica corrumpitur ab excellentia sui obiecti, uti potentia visiva a maxima luce, et auditiva a maximo sono. Atqui potentia intellectiva non corrumpitur, sed perficitur ab excellentia sui obiecti, nam qui intelligit aliquid valde intelligibile, aptior est ad minoram intelligenda. Ergo potentia intellectiva non est alligata organo. Audi S. Thomam: « Sensus corrumpitur ab excellenti sensibili. Intellectus autem non corrumpitur ab intelligibilis excellentia; quin imo qui intelligit maiora, potest melius postmodum minoram intelligere » (2). Cum hoc argumentum a Philosopho allatum sit, ne equivocatio obrepat, citabimus verba S. Thomae sic Aristotelem explanantis: « Dictum est supra, quod sicut sentire non est pati passione proprie accepta, ita nec intelligere. Et ex hoc supra conclusit, quod intellectus erat impassibilis. Ne ergo aliquis crederet, quod in eodem gradu impassibilitatis esset sensus et intellectus, subiungit hoc, quod non est similis impassibilitas sensitivi, et intellectivi. Sensus enim licet non patiatur a sensibili, passione proprie accepta, patitur tamen per accidens, in quantum organi proportio corrumpitur ab excellenti sensibili. Sed de intellectu hoc accidere non potest, cum organo careat; unde nec per se nec per accidens passibilis est » (3).

Arg. 4.^{um} Intellectus humanus natus est omnia fieri intentionaliter, cum eius potentia extendatur quodammodo ad omne ens, prout est intelligibile. Atqui potentia, quae in agendo sibi vindicat maximam amplitudinem et illimitationem, non potest dependere a materia, quae est principium coactionis et limitum. Ergo intellectus noster in operando nullum organi consortium habet.

Conclusio. Praestat totam hanc quaestionem claudere pulcherrimo S. Bonaventurae testimonio, quo paucis sic rem prosequitur: « Propter ipsam unionem non tantum pendet anima ex corpore, quantum ad actum sentiendi; sed etiam aliquo modo quantum ad actum intelligendi; sed longe aliter et aliter. Nam quantum ad actum sentiendi sic pendet, ut nullo modo possit eos exercere sine corpore; non autem sic de actu intelligendi: sic etiam pendet, ut illos actus

(1) Cf. SILV. MAURUM, *Quaest. philos. De ente immateriali*, q. 1.(2) *Contra gent.* lib. II, cap. LXVI.(3) *De Anima*, lib. III, lect. 7.

exerceat per corpus et per organum corporeum: non sic est de actu intelligendi, et ideo actum sentiendi dicitur communicare anima corpori. Unde non absurde omnino dicitur: oculus videt; non sic dicitur de actu intelligendi. Dicitur autem anima sentire per corpus, et non intelligere per corpus; quia cum duo concurrant ad actum intelligendi et sentiendi, videlicet recipere et iudicare; in sentiendo receptio speciei est a corpore, sed iudicium est a virtute; et in intelligendo, utrumque est a virtute intellectiva, videlicet ab intellectu possibili et agente. Et propterea intellectus dicitur vis non alligata materiae, et operationem hanc potest habere, cum est separata a corpore » (1).

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

Oppon. 1.^o Intellectus est facultas organica. Nam 1) Intelligendo defatigatur. 2) Impeditur cerebro, cessat intellectio. 3) Nihil possumus intelligere absque phantasmate, quod haberi nequit sine organo. 4) Movemur ad intelligendum a rebus materialibus.

Resp. Neg. assumptum. Ad singulas rationes additas, sic ordine respondemus.

Ad primam. Dist. Defatigatur propter actum intellectionis, *Neg.* Propter operationem phantasiae, quae antecedit et concomitatur intellectionem, *Conc.*

Ad secundam. Dist. Cessat intellectio, quia cessat operatio phantasiae, quae necessaria est ad operationem intellectus, *Conc.* Quia intellectus intrinsece laesus est, *Neg.* Ad rem S. Thomas: « Debilitatur intellectus ex laesione alicuius organi particularis indirecte, in quantum ad eius operationem requiritur operatio sensus habentis organum » (2).

Ad tertiam. Dist. Phantasma requiritur ad actionem intellectus ratione obiecti, *Conc.* Ratione principii intrinseci operationis, *Neg.* Unde Aquinas ait: « Corpus requiritur ad actionem intellectus non sicut organum, quo talis actio exerceatur, sed ratione obiecti » (3).

Ad quartam. Dist. Movemur ad intelligendum a rebus materialibus tamquam ab obiecto formali, *Neg.* Tamquam ab obiecto materiali seu a materia obiecti, *Conc.*

Explico. Propositae difficultates confundunt dependentiam extrinsecam intellectus a corpore seu ab organo, quae in statu unionis animae cum corpore est omnino necessaria, cum animus debeat accipere cognitionem suam a rebus sensibilibus, et dependentiam intrinsecam,

(1) In 2. *Sent. Dist.* 25, p. 2, a. 1, q. 6.

(2) *De Anima*, lib. III, lect. 7.

(3) 1 p. q. 75, a. 2 q. 3.

quae nullo modo adest; nam intellectus est facultas, quae residet in sola anima, ideoque operatur sine organo. Sicut ergo visus non dependet intrinsece a visibili, quod est necessarium ad suam operationem ratione obiecti; proportionaliter intellectus intrinsece non dependet ab organo, licet ratione obiecti indigeat cognitione sensitiva, quae non habetur sine organo corporali. Diximus: proportionaliter, nam diverso modo movetur sensus a sensibili, quam intellectus a phantasmate. Sensibile quippe movet sensum ad modum causae principalis et formalis, cum contra phantasma moveat intellectum ad modum causae instrumentalis et materialis, uti suo loco explicabitur.

Oppon. 2.^o Principium unde emanat intellectus, nempe anima intellectiva, est actus corporis. Atqui si intellectus esset separatus a corpore, principium esset spiritualis suo principio, quod repugnat. Ergo intellectus est receptus in organo.

Resp. Dist. mai. Anima intellectiva est actus substantialis corporis superexcedens proportionem sui receptivi, ideoque subsistens, *Conc.* Est actus dependens a corpore in essendo, *Neg. Dist. min.* Intellectus esset spiritualior, si omnimoda separatio a corpore dependeret solummodo a perfectione cum imperfectione formae accidentalis, *Neg.* et *Neg. cons.*

Explico. Cum anima sit actus et forma substantialis corporis, potest simul informare materiam, et in se subsistere, cum sit forma superexcedens proportionem materiae, ideoque habens operationes, in quibus non communicat materia corporalis. Quare in forma substantiali haec duo concurrere possunt, videlicet ut sit actus corporis, et forma spiritualis; licet non attingat illam immaterialitatis perfectionem, quae propria est formarum complete subsistentium. Forma accidentalis e converso cum in essendo essentialiter dependeat a subiecto, si eius subiectum est corpus, necessario erit forma materialis et non spiritualis. Hinc si est forma spiritualis, debet in subiecto spirituali residere, et sic intellectus humanus, qui est facultas spiritualis, residet in anima tamquam in subiecto. Neque dici poterit spiritualior principio, unde dimanat; nam sicut anima in ordine formarum spiritualium infimum locum obtinet, sic intellectus humanus in ordine facultatum intellectuum infimum locum habet, ideoque per res visibiles ascendit ad aliqualem cognitionem rerum invisibilium, et dici etiam solet *intellectus obumbratus*.

Oppon. 3.^o Intellectus humanus, iuxta Philosophum, se habet ad excellens intelligibile, sicut oculus vespertilionis ad excellens visibile. Atqui oculus vespertilionis corrumpitur ab excellenti visibili. Ergo et intellectus ab excellenti intelligibili, ideoque est organicus.

Resp. Dist. mai. Idest sicut oculus vespertilionis non est proportionatus ad excellens visibile, ita intellectus humanus non habet

pro obiecto proprio et proportionato maxime intelligibilia, *Conc.* Eo quod si actuatur ab excellenti intelligibili corrumpitur, *Neg.*

Explico. Similitudo illa ab oculo noctuae ducta eo tendit, ut declaret, intellectum humanum propter suam intelligendi imperfectionem non esse proportionatum ad habendam directam et propriam cognitionem excellentium intelligibilium, quemadmodum oculus noctuae non est proportionatus ad excellens visibile. Sed improprio in noctuis oritur ab organo, ideoque propter vehementem immutationem factam a sensibili in ipso organo, corrumpitur per se organum, et per accidens corrumpitur potentia visiva. In intellectu vero improprio in causa est, cur excellens intelligibile non possit ab intellectu per propriam speciem intelligi (1).

Oppon. 4.^o Intellectus noster cognoscit res materiales. Atqui facultas proportionata obiecto materiali est facultas organica. Ergo.

Resp. Dist. mai. Intellectus cognoscit res materiales abstracte, et immaterialiter, *Conc.* Concrete et materialiter, *Neg. Contradist. min.* Facultas proportionata obiecto materiali materialiter cognito, est organica, *Conc.* Immaterialiter cognito, *Subdist.* Dependet ab organo intrinsece, *Neg.* Extrinsece, *Conc.* Solutio patet ex superius dictis.

Oppon. 5.^o Si intellectus esset in sola anima ut in subiecto, dicenda esset intelligere anima, et non homo. Atqui homo dicitur intelligere. Ergo.

Resp. Dist. mai. Anima diceretur intelligere, et non homo, si anima non esset unita corpori in unitatem personae et naturae, *Conc.* Posita tali unione, *Neg. Dist. min.* Homo dicitur intelligere, mediante anima, *Conc.* Mediante organo animato, *Neg.*

Explico. Cum ex anima et corpore resultet unica persona et unica natura, omnes operationes, quae fiunt in homine, sive fiant per potentias, quae resident in sola anima, sive efficiantur per potentias, quae resident in composito, iure dicuntur fieri ab homine. Sic dicimus, hominem videre, licet videat per oculos, et audire, licet audiat per aures, et intelligere, licet intelligat per animam.

Oppon. 6.^o Simile simili cognoscitur. Atqui intellectus cognoscit materialia. Ergo intellectus est facultas materialis et dependens ab organo.

Resp. Dist. mai. Simile simili cognoscitur, ita ut assimilatio fiat per speciem intentionalem, *Conc.* Per formam naturalem et physicam, *Neg. Dist. min.* Intellectus cognoscit materialia per species intentionales et immateriales, *Conc.* Actuatus per formas physicas rerum, *Neg.* et *Neg. cons.*

Explico. Cum cognitio fiat per assimilationem cognoscentis ad cognitum, uti explicabimus inferius, intellectus debet esse similis rei

(1) Cf. S. THOM. I p. q. 88, a. 1 ad 3.

cognitae, ut possit illam cognoscere, seu vitaliter et intentionaliter in seipso reproducere. Sed haec similitudo non potest esse secundum formam naturalem et physicam; nam si intellectus assimilaretur physice rei materiali, non solum illam non cognosceret, sed evaderet ineptus ad omnem aliam cognitionem. Ceterum si intellectus ad res materiales cognoscendas deberet actuari forma physica rerum, non solum evaderet facultas organica; sed etiam fieret substantia materialis et inorganica, cum tales substantias, nempe inorganicas, cognoscat. Insuper formae spirituales et complete subsistentes vel nullo pacto cognoscerent res materiales, vel cognoscendo converterentur in substantias materiales. Haec omnia impossibilia tradita fuerant a veteribus Materialistis, qui ex eo quod simile simili cognoscitur, deducebant, animam esse corpus vel simplex, vel ex pluribus elementis concretum (1).

Oppon. 7.^o Si anima non communicaret corpori virtutem intellectivam, corpus humanum esset in eadem specie, ac corpus animantis, cui communicatur esse, vivere, et sentire. Atqui hoc dici nequit. Ergo intellectus communicatur organo.

Resp. Dist. mai. Esset in eadem specie, ac corpus bruti, si anima, quae communicat corpori esse, vivere, et sentire, esset diversa ab anima intellectiva, *Conc.* Si quoad substantiam esset eadem, *Neg.*

Explico. Corpus seu materia determinatur ad speciem per formam substantialem, quae ipsi communicat tum esse, tum esse in tali natura. Iam vero forma substantialis corporis humani est anima intellectiva, ideoque corpus humanum per animam elevatur ad speciem animalis rationalis, seu ad speciem humanam. Nihilominus cum anima rationalis superexcedat proportionem et capacitatem corporis, habet quasdam nobilitates et virtutes, quibus materia non communicat. Audiatur S. Thomas: « Anima, in quantum est forma corporis secundum suam essentiam, dat esse corpori, in quantum est forma substantialis; et dat sibi huiusmodi esse, quod est vivere, in quantum est talis forma, scilicet anima; et dat ei huiusmodi vivere, scilicet in intellectuali natura, in quantum est talis anima, scilicet intellectiva » (2).

(1) Cf. ARIST. De Anima, lib. I, cap. V et XII.

(2) QQ. DD. De spir. creaturis, a. 11 ad 14.

ARTICULUS II.

DE PROPRIO ET PROPORTIONATO OBIECTO INTELLECTUS HUMANI (1).

QUÆSTIO CIRCUMSCRIBITUR. Postquam a nobis explicata sit spiritualitas, seu intrinseca independentia ab organo, quæ competit intellectui humano, ut eius natura et gradus perfectionis cognoscatur, loquendum est de intelligibili, quod ipsi respondeat, nempe de proprio obiecto eiusdem. Sic efflorescet lucidus ordo in questione non parum salebrosa ac difficili; nam ex proprio intellectus obiecto generatim determinato promptior parabitur via ad explicandam propriam et differentialem perfectionem cognoscendi, quæ intellectui nostro competit, secundum quam utrinque seceritur a sensu, et ab intellectu Angelorum; et sic declarabitur etiam ortus cognitionis nostræ intellectivæ, idest quæstio de origine idearum.

Sicut ergo obiectum sensus dicitur sensibile, sic obiectum intellectus dicitur generatim intelligibile. Cum autem qualibet res intelligibilis sit, secundum quod est actu, et rationem entis sibi vindicat, illa consecutio emergit, ut obiectum intellectus seu intelligibile tantum extendatur, quantum ratio entis porrigitur; et in hoc sensu ens et verum convertuntur (2). Iam vero intelligibile hac ratione spectatum, est obiectum commune cuiuslibet facultatis intellectivæ; nam nullus concipi potest intellectus, qui non possit quodammodo intentionaliter assimilari omnibus rebus, illasque cognoscere. Quare etiam intellectus humanus, qui in ordine virtutis intellectivæ postremum locum occupat, omnia entia sive visibilia sive invisibilia quantumdantenus cognoscit, et de omnibus vera iudicia profert. Hinc etiam intellectus hominis iure dicitur a S. Thoma apprehensus entis et veri, et eius obiectum assensit ab eodem, esse commune quoddam, scilicet ens et verum (3).

Intelligibile commune et proprium. Ens generatim spectatum, prout cognosci potest a quolibet intellectu, merito dicitur obiectum seu intelligibile commune. Cum autem diversi intellectus, differentes inter se non solum specie, sed etiam genere, discriminari nequeant per id quod est omnibus commune, patet, rationem differentialem, gradumque perfectionis humani intellectus non esse desumendum ab intelligibili, prout est obiectum commune cuiuslibet intellectus; sed ab

(1) De hac re cf. S. THOM. *QQ. DD. De Anima*, lib. II, lect. 12, et lib. III, lect. 8; 1 p. q. 85, a. 1 et 3, et alibi passim.

(2) Cf. S. THOM. *QQ. DD. De ver. q. 1, a. 1.*

(3) Cf. S. THOM. 1 p. q. 82, a. 4 ad 1, et q. 87, a. 3 ad 1.

intelligibili, prout est proprium eius obiectum. Sic tum intellectus Angeli, tum intellectus hominis cognoscunt res materiales et res spirituales; et in hoc non discriminantur. Sed intellectus Angeli per naturas simplices et immateriales cognoscit essentias compositas et materiales; cum ex adverso intellectus hominis cognoscat naturas invisibiles et spirituales per res visibiles et materiales; et in hoc vehementer discrepant. Quare ad determinandam speciem intellectus humani, eiusque differentiam tum ab intellectu Angeli, quocum convenit in genere facultatis intellectivæ, tum a sensu, quocum consentit in genere potentiae apprehensivæ, disputare oportet de proprio et proportionato obiecto nostri intellectus in præsentis statu unionis animæ rationalis cum corpore organico.

Quid obiectum proprium? Obiectum proprium alicuius facultatis cognoscitivæ definitur a S. Thoma: *Id quod est primo et per se cognitum a virtute cognoscitiva* (1). Iam vero cum id quod est primo et per se cognitum, sit causa cur cetera cognoscantur, consequitur, proprium obiectum debere esse proportionatum perfectioni virtutis cognoscitivæ, et eius certam ac definitam mensuram; ita ut virtus cognoscitiva, quæ a proprio obiecto cognoscendo orditur, quandoque per proprium obiectum ascendat ad alia cognoscenda, si alia cognoscibilia perfectione antevertunt proprium obiectum; quandoque contra descendat, si id quod cognoscitur, est inferiori perfectione. Sic intellectus humanus a rebus visibilibus ad invisibilia cognoscenda ascendit; cum ex adverso Angeli a rebus invisibilibus ad res materiales percipiendas quodammodo descendunt.

Philosophorum sententiæ. In hac questione, quæ finitima est controversiæ de origine idearum, et de primo cognito intellectus nostri, sunt multiplices philosophorum sententiæ, de quibus aliqua singillatim attingemus agentes de ortu et causis cognitionis nostræ intellectivæ. Hic autem, omissis placitis tum Sensistarum, tum Rationalistarum, posthabitis etiam Cartesianis, qui tuentur, obiectum proprium intellectus nostri esse ipsam substantiam animæ cum suis affectionibus, ideoque initium scientiæ esse repetendum ab animi conscientia; questionem coarctamus ad illos philosophos, qui in eo conveniunt, quod intellectus noster in cognoscendo a rebus externis et visibilibus ordiatur. Porro isti philosophi ad tres classes revocari possunt, quorum primi censent, intellectum nostrum percipere solummodo accidentia rerum materialium; secundi tuentur, intellectum primo et per se cognoscere essentias singulares et individuas; postremi tandem cum Aristotele, Boetio, B. Alberto Magno, S. Bonaventura, S. Thoma, et politioribus Scholasticis pugnant, proprium, directum, et proportionatum obiectum intellectus nostri esse quidditatem rerum corporalium ab-

(1) 1 p. q. 85, a. 8.

stractam a principiis individuantiis, ideoque universalem. Sic vitantur errorum eorum, qui intellectum male confundunt cum sensu, tum illorum, qui non distinguunt inter vim intellectivam hominis et intellectum formarum separatarum, quae singularia corporea directe cognoscunt.

PROPOSITIO.

Obiectum proprium, directum, et proportionatum intellectus nostri in praesenti statu unionis animae cum corpore est quidditas rerum materialium abstracta a principiis individuantiis, ideoque universalis, ita ut universaliora sint priora in nostra cognitione.

Prob. 1.^a pars. Principio quidem quod intellectus cognoscat rerum quidditates, hoc est ita apertum et illustre, ut non egeat nisi quadam admonitione. Siquidem intellectus noster scientiam sibi comparat, quae non est nisi de necessariis et immutabilibus, id est de essentiis rerum. Insuper format definitiones, quae nihil aliud sunt, nisi explicationes essentialium, ideoque definitiones, iuxta Philosophi doctrinam, constituunt tum principium, tum terminum scientiae. Quocirca negantes, intellectum cognoscere essentialia, simul ipsam scientiam existentiam inficiati sunt, quemadmodum de Heraclito et Cratylō refert Aristoteles (1). Quod autem intellectus primo et per se intelligat essentialia rerum materialium abstractas a materia individuali, hoc probatur tum ab ipsa natura intellectus humani, tum ab experientia. Prima argumentandi ratio deducitur ex eo quod anima humana est forma substantialis corporis (2). Argumentum autem sic effici potest. Obiectum proprium et directum illud esse debet quod respondet modo existendi potentiae, ad quam refertur. Atqui quidditas materialis abstracta a principiis individuantiis respondet modo existendi intellectus humani, qui licet nulli organo affixus, est tamen facultas animae, quae informat materiam. Ergo. Propositio maior ex eo elucescit, quod cognitio fit per assimilationem cognoscentis ad cognitum, et cognitum est in cognoscente ad modum cognoscentis. Ergo illud est obiectum proprium seu primo et per se cognitum, quod tale est, ut ei primo et per se assimiletur cognoscentis. Porro quod respondet modo existendi cognoscentis tale est, ut ei primo et per se assimiletur cognoscentis. Sic obiectum proprium intellectus divini est ipsa divina essentia; obiectum proprium intellectus Angelorum est substantia simplex et immaterialis; obiectum proprium animae intellectivae, quae est forma corporalis, est essentia materialis abstracta, seu immaterialiter cognita.

(1) Cf. ARIST. *Metaph.* lib. IV, text. 22.

(2) Cf. S. THOM. I p. q. 12, a. 4; et Com. TOLETI in hunc locum.

Ad doctrinam magis magisque illustrandam, placet hic transferre ipsa S. Thomae verba, quibus rem declarat et confirmat: « Obiectum cognoscibile proportionatur virtuti cognoscitivae. Est autem triplex gradus cognoscitivae virtutis. Quaedam autem cognoscitiva virtus est actus organi corporalis, scilicet sensus, et ideo obiectum cuiuslibet sensitivae potentiae est forma prout in materia corporali existit. Et quia huiusmodi materia est individuationis principium, ideo omnis potentia sensitivae partis est cognoscitiva particularium tantum. Quaedam autem virtus cognoscitiva est, quae neque est actus organi, neque est aliquo modo materiae corporali coniuncta, sicut intellectus angelicus, et huius virtutis cognoscitivae obiectum est forma sine materia subsistens... Intellectus autem humanus medio modo se habet: non enim est actus alicuius organi, sed tamen est quaedam virtus animae, quae est forma corporis. Et ideo proprium eius est, cognoscere formam in materia quidem corporali individualiter existentem, non tamen prout est in tali materia. Cognoscere autem id quod est in materia individuali, non prout est in tali materia, est abstrahere formam a materia individuali, quam repraesentant phantasmata » (1).

Ratio autem a posteriori eruitur ab ipsa experientia, quae evidentissime testatur, nos intelligere spiritualia per quandam comparisonem ad corporalia; et quoniam res nominantur a nobis secundum quod cognoscuntur, sic nomina quibus utimur ad res spirituales indicandas, ex rebus materialibus desumpta sunt. Quocirca res spirituales non per proprias species, sed per species alienas et per quandam similitudinem, ideoque imperfectissime cognoscimus per viam causalitatis, vel excessus, vel remotionis. Accedit dependentia, quam experimur inter cognitionem intellectivam et sensitivam, quae non potest explicari, nisi ratione obiecti proprii intellectus nostri, qui non est facultas organica, et nihilominus nihil intelligere potest, nisi per conversionem ad phantasmata (2).

Prob. 2.^a pars, nempe intellectum nostrum directe apprehendere naturas universales, non vero prout determinatae sunt ad esse huius vel illius singularis. Haec pars ita in perspicuis habebatur apud veteres Scholasticos ante Scotum, ut tanquam axioma reputaretur illud a Boetio usurpatum: *Singulare dum sentitur, universale dum intelligitur*, ideoque verum germanumque discrimen inter sensum et intellectum in eo reponebant, quod sensus sit apprehensivus formae prout est in materia individuali, ideoque non cognoscat nisi singulare; intellectus ex opposito sit apprehensivus formarum habentium esse in materia individuali, non tamen secundum quod sunt in materia individuali, sed secundum quod abstrahuntur ab ea, et sic cognoscuntur in uni-

(1) I p. q. 85, a. 1.

(2) Cf. S. THOM. I p. q. 84, a. 7.

versali. Quare scite ex S. Thoma anima «habet duas virtutes cognoscitivas. Unam quae est actus alicuius corporis organi, et huic connaturale est cognoscere res secundum quod sunt in materia individuali; unde sensus non cognoscit nisi singularia. Alia vero virtus cognoscitiva eius est intellectus, qui non est actus alicuius organi corporalis. Unde per intellectum connaturale est nobis cognoscere naturas, quae quidem non habent esse, nisi in materia individuali; non tamen secundum quod sunt in materia individuali, sed secundum quod abstrahuntur ab ea per considerationem intellectus. Unde secundum intellectum possumus cognoscere huiusmodi res in universalis, quod est supra facultatem sensus» (1).

Ex dictis sic possumus argumentari. Proprium obiectum intellectus nostri, proportionatum naturae ipsius, qui est facultas spiritualis et inorganica animae intellectivae simul et sensitivae, est essentia rerum materialium abstracta a principiis individuantibus, seu a materia individuali. Atqui essentia, quae per considerationem intellectus separatur ab esse in hoc vel illo singulari, dicenda est universalis. Ergo proprium obiectum intellectus est universale. Et revera, ut argumentum ulterius evolvatur, illud intellectus intelligit in rebus de quo format definitiones. Porro definitio non est, nisi de universalibus. Quam ad rem, uti notat B. Albertus Magnus: «Propria operatio intellectus agentis est abstrahere, non quidem a materia tantum; sed universaliter ab hoc particulari, cuius intentio est in anima sensibili. Hoc autem abstrahere nihil aliud est, quam accipere universale ex particulari... Relinquitur ergo, proprium obiectum intellectus esse universale» (2).

Confr. Ex eo quod si intellectus accipiens cognitionem a rebus sensibilibus et corruptibilibus, primo et per se cognosceret singulare, concludendum foret, rem materialem et corpoream imprimere in facultatem immaterialem et incorpoream. Atqui hoc est dictu absurdum, cum materia non possit agere in spiritum. Ergo vel dicendum, intellectum non differre a sensu, vel admittendum, obiectum proprium et directum intellectus non esse singulare, sed universale.

B. Albertus Magnus. Eadem doctrina in hunc ferme modum demonstratur a B. Alberto. Si aliquod singulare corporeum esset obiectum proprium et per se intellectus nostri, dicendum foret, intellectum natura determinatum esse ad illud genus singularium. Atqui consequens est absurdum; in illa hypotesi intellectus cetera genera singularium, vel singularia ceterorum generum percipere haud posset. Ergo et antecedens. Haec argumentandi ratio, uti patet, gemina est illi, qua ex Philosopho probavimus, intellectum non esse facultatem

(1) I. p. q. 12, a. 4.

(2) De intellectu et intelligibili, lib. I, tract. II, cap. I.

residentem in organo. «Sed placet ipsa verba B. Alberti huc transferre: «Intellectus cum sit simplex et purus, nihil ulli habens commune, et separatus ab omnibus, oportet quod obiectum proportionatum habeat sibi, eo quod scire et intelligere non convenit ei, nisi secundum potestatem et congruentiam ipsius, sicut fit passio in quolibet passivo... ideo si particulare inferret aliquam passionem intellectui, oporteret, illam habere congruentiam ad illud particulare in genere, et tunc non pateretur nisi a rebus, quae essent de genere illius particularis; et ideo denudatum a materia et appendiciis materiae est obiectum, quod propriam infert intellectui passionem» (1).

S. Thomas. Magistro suo concinit Aquinas, inquiens: «Intellectus noster non intelligit res nisi abstrahendo, et per ipsam abstractionem a conditionibus materialibus, id quod abstrahitur fit *universale*» (2). Immo doctrinam Aristotelis enarrans secundum quam sensus in operando differt ab intellectu, haec ad rem nostram scientissime disserit: «Sciendum est quod sensus est virtus in organo corporali; intellectus vero est virtus immaterialis, quae non est actus alicuius organi corporalis... Oportet igitur quod sensus corporaliter et materialiter recipiat similitudinem rei, quae sentitur. Intellectus vero recipit similitudinem eius, quod intelligitur, incorporaliter et immaterialiter. Individuatio autem naturae communis in rebus corporalibus et materialibus est ex materia corporali sub determinatis dimensionibus contenta: universale autem est per abstractionem ab huiusmodi materia, et materialibus conditionibus individuantibus. Manifestum est igitur quod similitudo rei recepta in sensu repraesentat rem secundum quod est singularis; recepta autem in intellectu, repraesentat rem secundum rationem universalis naturae: et inde est quod sensus cognoscit singularia, intellectus vero universalis, et horum sunt scientiae» (3).

S. Bonaventura. Difficultati vel melius cavillationi quorundam sive veterum sive recentiorum aientium, intellectus immaterialitatem non esse in causa, cur singularia per se et directe non cognoscat, sic nervose occurrit S. Bonaventura: «Dicendum, quod hoc quod non cognoscat singularia, non tantum venit ex immaterialitate; immo ex materialitate coniuncti et immaterialitate sua. Quoniam enim coniungitur corpori, ideo habet potentias secundum quas dependet a corpore quantum ad operationem, et per quas intellectus, quamdiu est in corpore, exit ad exteriora; quia illae sunt mediae, scilicet sensus particularis, et imaginatio. Quoniam vero singulare non pervenit ad intellectum, nisi per istas potentias, et ascensus per has est per abstra-

(1) De intellectu et intelligibili, loc. cit.

(2) I. p. q. 57, a. 2 ad 1.

(3) De Anima, lib. II, lect. 12; cf. etiam lib. III, lect. 8.

cionem et deparationem, et abstractio facit de singulari universale, ideo non potest singularia cognoscere ut intellectus; nisi intellectus sit separatus vel divinus » (1). Unde Aquinas paucis dixit: « Singularium, quae sunt in rebus corporalibus, non est intellectus apud nos, non ratione singularitatis, sed ratione materiae, quae est individuationis principium » (2).

Prob. 3.^a pars, nempe universaliora esse priora in nostra cognitione. Cum intellectus noster procedat in intelligendum de potentia in actum, per actus imperfectos pervenit ad actum perfectum scientiae et cognitionis. Atqui cognitio universalior est imperfectior, quam cognitio minus universalis. Ergo universaliora sunt priora in nostra cognitione. Cum propositio maior in promptu sit tum experientia, tum ratione, sic assumptio suaderi potest cum Aquinate nostro. Illa cognitio est imperfecta, qua cognoscuntur res indistincte et sub confusione quadam; et vicissim illa cognitio est perfecta, per quam distincte et determinate res cognoscuntur. Iam vero cognoscere aliquid, in quo plura continentur, quin habeatur propria notitia uniuscuiusque eorum, quae in illo continentur, est cognoscere rem confuse et indistincte. Ergo cognitio universalior est imperfectior, quam cognitio minus universalis (3). Hanc pulcherrimam doctrinam S. Thomas mutuatus fuerat ab Aristotele, qui eam saepissime inculcavit. Placet unum saltem Stagiritae transcribere locum sic explicate rem enodantem: « Naturaliter autem constituta est via ab iis, quae sunt nobis notiora et clariora, ad ea, quae sunt notiora et clariora natura; non enim eadem sunt nobis nota, et simpliciter: quare necesse est hoc modo progredi, nimirum ex iis, quae natura quidem sunt obscuriora, nobis tamen sunt clariora, ad ea quae sunt notiora ac clariora natura. Ea enim sunt nobis primum perspicua et manifesta, quae sunt magis confusa... Idcirco ab universalibus ad singularia progredi oportet » (4).

SCHOLION. Quatuor abstractionis gradus. Ad abstractionem intelligendam, qua intellectus noster rerum quidditates cognoscit, praestat in medium afferre quatuor abstractionis gradus, quorum sic meminit B. Albertus Magnus: « Dicimus igitur quod omne appre-

(1) I. *Sent.* Dist. 39, a. 1, q. 2.

(2) I. p. q. 36, a. 1 ad 2; cf. etiam I. p. q. 75, a. 4 et 5.

(3) Cf. S. THOM. I. p. q. 85, a. 3.

(4) Πέραν δὲ ἐν τῶν γνωριμωτέρων ἡμῶν ἔσθαι καὶ σαφέστερον ἐπὶ τὰ σαφέστερα τῆ φύσεως καὶ γνωριμώτερα ὅτι γὰρ ταῦτ' ἡμῶν τε γνωριμὰ καὶ ἀπλῶς διότι ἀνάγκη τὸν τρόπον τούτον πράξαι ἐν τῶν ἀσαφέστερων μὲν τῆ φύσεως, ἡμῶν δὲ σαφέστερων, ἐπὶ τὰ σαφέστερα τῆ φύσεως καὶ γνωριμώτερα. Ἔστι δ' ἡμῶν τὸ πρῶτον ὅλα καὶ σαφῆ τὰ συγκριζόμενα μᾶλλον... Διὸ ἐκ τῶν κατωτέρων ἐπὶ τὰ κατ' ἕκαστα αἰεὶ πρὸναι. *Physic.* lib. I. cap. I.

hendere, est accipere formam apprehensi non secundum esse quod habet in eo, quod apprehenditur; sed secundum quod est intentio ipsius et species, sub qua aliqua sensibilis vel intelligibilis notitia apprehensi habetur. Haec autem apprehensio quatuor habet gradus; quorum primus et infimus est, quod abstrahitur et separatur forma a materia, sed non ab eius praesentia, nec ab eius appendiciis; et hoc facit vis apprehensiva deforis, quae est sensus. Secundus autem gradus est quod separatur a materia, et a praesentia materiae, sed non ab appendiciis materiae, sive conditionibus materiae, et hanc apprehensionem facit imaginativa potentia, quae, etiam singularibus non praesentibus, retinet formas sensilium, sed non denudat eas a materiae appendiciis... Tertius autem gradus apprehensionis est, quo accipimus non tantum sensibilia, sed quasdam intentiones, quae non imprimuntur sensibus, sed tamen sine sensibus nobis non innotescunt, sicut esse socialem, et amicum, et delectabilem... Quartus autem et ultimus gradus est, qui apprehendit rerum quidditates denudatas ab omnibus appendiciis materiae, nec accipit ipsas cum sensilium intentionibus, sed potius simplices et separatas ab eis, et ista apprehensio solius est intellectus » (1).

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

Oppon. 1.^a Quidquid intellectus intelligit actu directo, est in re materiali. Atqui omne quod est in re materiali, est singulare. Ergo intellectus primo et directe intelligit singulare. Ita Antonius Trombeta.

Resp. Dist. mai. Quidquid intellectus directe intelligit, est in re, et intelligitur eodem modo ac subsistit in re, *Neg.* Et intelligitur diverso modo, *Conc. Dist. min.* Omne quod est in re, habet esse ad singularitatem determinatum, *Conc.* Est per seipsum singulare, *Neg.* Solutio patet ex iis, quae diximus de universali, et invenitur rite proposita apud Caietanum in prooemio ad opusculum *De ente et essentia.*

Oppon. 2.^a Si intellectus noster intelligit quidditates abstractas a principiis individuantibus, falso eas cognoscit. Atqui hoc dici nequit. Ergo obiectum intellectus non est quidditas abstracta.

Resp. Dist. mai. Si abstractio fit per modum compositionis et divisionis, *Conc.* Si fit per modum simplicitatis, *Neg.* (2).

Oppon. 3.^a In definitione cuiuslibet rei naturalis cadit materia. Atqui materia est principium individuationis. Ergo intelligimus quidditatem singularem.

Resp. Dist. mai. In definitione rerum naturalium cadit materia communis, *Conc.* Materia signata, *Neg. Contradist. min.* Materia

(1) *De Anima*, lib. II, tract. III, cap. IV.

(2) De duplici abstractione cf. S. THOM. I. p. q. 85, a. 1 ad 1.

communis est principium individuationis, *Neg.* Materia signata, *Conc.* et *Neg. cons.* (1).

Oppon. 4.^o Phantasmata, iuxta Philosophum, se habent ad intellectum, sicut colores ad visum. Atqui visus non abstrahit species universales a coloribus. Ergo nec intellectus.

Resp. Dist. mai. Phantasmata et colores conveniunt in eo, quod causant cognitionem, *Conc.* Quod causant eodem modo, et in eodem genere causae, *Neg.* et *Neg. cons.*

Explico. Colores sunt causa principalis et proportionata, quae determinat virtutem visivam ad actum visionis, quia cum potentia visiva sit organica, colores habent eundem modum existendi in facultate visiva, ac in materia corporali individuali. Sed phantasma est solum causa instrumentalis et materialis, quia habet diversum modum existendi, ac intellectus, ideoque prout est repraesentatio alicuius singularis obiecti non potest imprimere in intellectum (2).

Oppon. 5.^o Quidditas universalis non potest cognosci, nisi cognoscatur relatio unius ad plura. Atqui intellectus directe et primo non cognoscit relationem. Ergo.

Resp. Dist. mai. Universale reflexum, seu quidditas cum intentione universalitatis non potest cognosci sine relatione, *Conc.* Universale absolutum et directum, *Neg.* Nam aliud est cognoscere in suis praedicatis quidditativis naturam communem, et aliud est illam cognoscere prout est, vel esse potest in pluribus, seu cum relatione ad plura. Primum fit actu directo: secundum fieri nequit.

Oppon. 6.^o Magis universalis sunt priora secundum naturam, quam minus universalis. Atqui quae sunt priora secundum naturam, sunt minus nota quoad nos. Ergo universaliora non sunt nobis notiora, quam minus universalis.

Resp. Dist. mai. Universaliora sunt priora secundum ordinem generationis, *Conc.* Secundum ordinem dignitatis et perfectionis, *Neg. Contradist. min.* Si sunt priora secundum ordinem generationis, *Neg.* Si sunt priora secundum ordinem dignitatis et perfectionis, *Conc.*

Explico. Solutio difficultatis sic declaratur a S. Thoma: « Duplex est ordo naturae: unus secundum viam generationis et temporis, secundum quam viam ea quae sunt imperfecta et in potentia, sunt priora; et hoc modo magis commune est prius secundum naturam... Alius est ordo perfectionis sive intentionis naturae, sicut actus simpliciter est prior secundum naturam, quam potentia, et perfectum prius est, quam imperfectum; et per hunc modum minus commune est prius secundum naturam, quam magis commune, ut homo, quam animal » (3).

(1) De materia communi et signata cf. S. THOM. loc. cit. ad 2.

(2) Cf. S. THOM. loc. cit. ad 3.

(3) Loc. cit. a. 3; ad 1.

Oppon. 7.^o Prius cognoscimus definitum, quam partes definitionis. Atqui universaliora sunt partes definitionis minus universalium. Ergo universaliora non sunt priora in nostra cognitione.

Resp. Dist. mai. Prius cognoscimus definitum, quam partes definitionis secundum quod considerantur relative ut partes definitionis, *Conc.* Secundum quod considerantur absolute et in se, *Neg. Contradist. min.* Universaliora sunt partes definitionis, quae considerari possunt vel absolute, vel ut partes definitionis, *Conc.* Quae considerantur solum ut partes definitionis, *Neg.*

Explico. Totum aliquod definibile, quod est aliqua species coalescens ex genere et differentia, vel comparatur ad partes definitionis prout absolute et in se spectantur, et tunc pars definitionis, quae universalior est quam definitum, prius cognoscitur quam definitum; et sic prius cognoscitur animal quam homo, licet animal sit pars definitionis hominis: vel definitum comparatur ad partes definitionis prout illae partes spectantur relative, nempe ut partes illius definiti; et tunc prius cognoscitur definitum confusa quadam cognitione, et postea cognoscitur quod illa pars universalior et generica sit de ratione illius definiti. Rem sic declarat S. Thomas: « Definitiva, absolute considerata, sunt prius nota quam definitum; alioquin non notificaretur definitum per ea: sed secundum quod sunt partes definitionis, sic sunt posterius nota. Prius enim cognoscimus hominem confusa quadam cognitione, quam sciamus distinguere omnia, quae sunt de hominis ratione » (1).

ARTICULUS III.

AN ET QUOMODO INTELLECTUS NOSTER COGNOSCAT SINGULARIA (2).

QUAESTIO DETERMINATUR. Duo a nobis hactenus constabita sunt, nempe: 1) intellectum nostrum quodammodo se extendere ad omnia, quae habent rationem entis; 2) obiectum proprium et proportionatum ipsius in praesenti statu esse quidditatem rerum materialium abstractam a principiis individuantibus, ideoque universalem. Cum autem supra hoc obiectum sint formae spirituales penitus separatae secundum esse a materia, et maxime Deus; et ex adverso infra intellectum sint formae materiales prout habent esse in materia, sponte sua oritur quaestio, quae investigat quo pacto intel-

(1) I p. loc. cit. ad 3.

(2) De hac re cf. S. THOM. I p. q. 86, a. 1; 4 *Sent.* Dist. 50, q. 1, a. 3; *QQ. DD. De Anima*, a. 20; *De ver. q.* 10, a. 5; *De Anima*, lib. III, lect. 8; cf. etiam CAPREOLUM, I *Sent.* Dist. 35, q. 2, pag. 474-475.